BULLETIN INTERNATIONAL
DE L'ACADÉMIE DES SCIENCES DE CRACOVIE.
CLASSE DES SCIENCES MATHÉMATIQUES ET NATURELLES.

N° 4. Avril. 1909.

Sommaire: 23. R. GUTWIŃSKI. Flora Algarum montium Tatrensium.
24. S. ZAREMBA. Sur l'unicité de la solution du problème de Dirichlet.
25. S. KREUTZ. Kristallisation von Salmiak.
26. A. KORCZYŃSKI. Über anormale Salze. II Teil.
27. J. KOZAK. Über die Wirkung des Kaliumhydroxyds auf das Acetyl-ps-Isatin-Dioxim.
28. J. BURACZEWSKI und M. DZIURZYŃSKI. Bromierung des Strychnins, Brucins und anderer Alkaloide. I Teil.
29. ST. MOSTOWSKI. Über das Verhalten von Glukoso-Phenetidid und Tetracetyl-Glukoso-Phenetidid im tierischen Organismus.
30. A. DZIERZBICKI. Einige Beobachtungen über den Einfluß der Humusstoffe auf die Entwicklung der Hefe und auf Alkoholgärung.
31. N. CYBULSKI und J. DUNIN-BORKOWSKI. Einfluß von Membranen und Diaphragmen auf elektromotorische Kräfte.
32. J. JAROSZ. Stratigraphie des Kohlenkalks in der Umgebung von Krakau.

P. 64
Biblioteka P. A. N.

Séance du lundi 1 Mars 1909 [Suite et fin [1])].

23. *Flora glonów tatrzańskich. — Flora Algarum montium Tatrensium.* — Mémoire de M. **R. GUTWIŃSKI**, présenté par M. J. Rostafiński m. t.

(Accedunt tabulae duae: VII et VIII).

PARS I.

A. De situ et natura montium Tatrensium.

Mediâ in parte Carpathorum montium, quae ad occidentem spectat, inter 49° 5′ 40″ et 49° 19′ 35″ septentrionalis latitudinis atque inter 37° 13′ 15″ et 37° 58′ 40″ orientalis longitudinis a F., Tatrenses montes continui (vertice Gerlach) ad 2663 *m* s. m. assurgunt atque a fluvio Orava usque ad vallem Cepusiensem in orientem porriguntur. Longitudo montium Tatrensium a Siwy Wierch (1806 *m* s. m.) ultimo vertice, qui ad occasum prospectat, usque ad portas montium, quae Żdżarska przełęcz appellantur, 52·5 *km* efficit, maxima autem latitudo inter vicos Szczyrba (Csorba) et Mur Zasichłe 17 *km* non egreditur [2]). Iugum principale lineam anfra-

[1]) Voir ce Volume, page 311.

[2]) Rehman A. Ziemie dawnej Polski i sąsiednich krajów słowiańskich opisane pod względem fizyczno-geograficznym. Cz. I. Karpaty. Lwów 1895.

rcin.org.pl

ctam efficit, in septentriones et meridiem iuga brevia vallibus disiuncta emittit hoc modo, ut septentrionalia meridionalibus in iugo principali nusquam fere occurrant. Haec iuga brevia, quod ad formam attinet, iugo principali plane similia sunt, costaeque eorum vallibus minoribus secernuntur.

Medulla montium Tatrensium ex granitibus composita, quae saxa in parte ad meridiem spectanti nullis aliis saxis obteguntur. In parte ad occasum vergenti (a deflexione iugi Liliowe dictâ 1981 *m* s. m. ad occidentem) gneysibus et saxis fissillibus crystallinis, quae in meridie in vallem Cepusiensem-Liptoviensem descendunt, in parte autem, quae ad septentriones spectat, saxis sedimentariis praecipue calcibus (et dolomitibus) occultantur. Quae calces montibus Tatrensibus in parte eorum septentrionali formam montium calcariorum propriam et peculiarem dederunt. Saxa calcaria ab Siwy Wierch (1806 *m* s. m.), quod cacumen in Orava situm est, usque ad Bujaczy Wierch (Stirnberg 1947 *m* s. m.) montem in comitatu Cepusiensi situm continuo extenduntur et solum rivis in Tatrensibus montibus nascentibus erosa et perfossa sunt. Quod autem a principali iugo remota sunt, eo fit, ut brachia horum montium septentrionalia partim ex granitibus vel saxis fissilibus crystallinis partimque ex calcibus composita sint.

Montes Tatrenses aquis omnium iugorum, quae Carpathos montes efficiunt, locupletissimi sunt. In parte septentrionali Białka, Biały et Czarny Dunajec aquas in fluvio Dunajec iungunt, Oravica autem atque Studeny in flumen Oravam influunt. In parte meridionali Biała Żdżarska (Béla in charta milit.), Biała Koperszadzka (Weisswasser), Kamienisty (Steinbach), Zimna Woda (Grosser Kolbach), Wielicki (Felkabach), Batyzowiecki, Poprad, Młynica aquas in fluvio Poprad iungunt, ex rivis: Biały Wag, Biała Krywańska (Bela), Raczkowa, Smreczanka, Jałowicki flumen Wag nascitur. Qua re fit, ut et ex parte montium Tatrensium, quae ad septentriones spectat, et ex parte, quae in meridiem vergit, flumina partim ad mare Balticum, partim ad Pontem Euxinum aquam volvant iugumque Tatrense magno divortio aquarum Europaeo in transversum scissum sit.

Praeter rivos commodum enumeratos multis cum minoribus rivulis affluentibus et numerosos minores fontes, quorum fontem „Lodowe“ sub claustris Zawrat 1820 *m* s. m. dictis situm, cuius aqua temperaturam ca. 2·1° C possidet, hic commemorare volo, montes Tatrenses fontibus maioribus, qui „wywierzyska“ appel-

rcin.org.pl

lantur copiamque aquarum vehementer in superficiem terrae eiciunt, abundant. Hic adnumerantur: fons „Lodowe“ in planitie quadam vallis Kościeliska situs (967 *m* s. m.) eximiam copiam aquarum, quarum temperatura + 4·1° C est, eiciens, fons rivi Biały Dunajec supra Kuźnice in valle Bystra situs, fons ad deflexionem iugi, quae Goryczkowa przełęcz appellatur, fons in valle Olczyska. Etiam thermae Jaszczurówka, quarum temperatura prius + 20° C erat, nunc autem, cum fons alius frigidus ex latere in eas influxerit, tantum + 16·5° C metitur, visu dignae sunt. Hae thermae deversoribus, qui in Zakopane menses aestivos agunt, balneis sunt.

Praeterea numerosae catarractae, quae ex inaequali descensu vallium Tatrensium et ex liminibus, quibus singulae partes vallium disiunguntur, nascuntur, res observatione dignae sunt. Maxima earum „Siklawa“ catarracta aquas lacus „Wielki staw“ (unius ex „Quinque Polonicis lacubus“) in praeceps 67 *m* altum mittit, catarractae Mickiewiczii (ca. 1115 *m* s. m.) atque „Siklawica“ (1095 *m* s. m.) in valle „Strążyska“, cuius pars superior 9·8 *m* inferior autem 12·9 *m* alta est. in parte montium Tatrensium ad septentriones vergenti, catarractae autem in valle „Zimna Woda“ (Kolbach) in parte, quae ad meridiem spectat, sitae sunt.

Sed montes Tatrenses cum aliis montibus Europae centralis comparati facillime dignoscuntur tantâ copiâ lacuum, ut paeninsula Scandinavica atque Finlandia solae hac re montibus nostris anteeant. In amplitudine enim montium Tatrensium, quae ca. 150 km^2 explet, 112 lacus, quae stagna (stawy) appellantur, exsistunt, totidem aquis iam privati atque in locos paludosos, turfosos transformati seu prorsus exsiccati sunt. Hic eos tantum lacus commemorabo, ex quibus specimina algarum sumpsi. Atque in valle „Gąsienicowych stawów“: „Czarny staw“, cuius superficies 22·87 *ha* metitur, 1626 *m* s. m. situs, 47 *m* altus est. Aquae eius mensibus aestivis in superficie ca. + 10° C temp. praebent, cum temp. aëris ca. + 8·9° C est. (Summa temp. aëris 18. VIII, 1892, 12·5 ^{h} p. mer. = 19° C, ima autem 25. VII, 1892. 10·25 ^{h} a. m. = 4·3° C).

„Zielony staw“ 1675 [1]) *m* s. m., 14·5 *m* altus, 3·45 *ha* continet. Temp. aquae = + 11° C (die 20. et 28. IX. 1892).

[1]) Birkenmajer L. O stosunkach temperatury głębokich jezior tatrzańskich 1901. Kraków. Rozprawy Akad. Um. Wydz. mat.-przyr. t. X., pag. 186—411.

rcin.org.pl

„Dwoisty staw“ 1648 *m* s. m., cuius altitudo ignota est, superficies = 1·2 *ha*.

„Długi (v. Kuklaty) staw“ 1790 [1]) *m* s. m. Altitudo eius = ca. 7 *m*, superficies autem = 1·52 *ha*.

„Kurtkowiec“ 1701 *m* s. m.; superficies eius = 1·74 *ha*.

„Sobków staw“ 1628 *m* s. m.

„Zmarzły staw“ supra „Czarny staw“ 1795 [1]) *m* s. m. Altitudo eius = 4 *m* — 5 *m*, superficies = 0·21 *ha*.

In valle „Pięciu Polskich stawów“ (Quinque Polonicorum stagnorum): „Przedni staw“ 1672 *m* s. m., altitud. = ca. 28 *m* (30 *m* indicat Dziewulski), superficies eius = 7·7 *ha*, temp. aquae (VII et VIII mensibus) = + 10·7° C.

„Wielki staw“ 1669 *m* s. m., altitud. = 78 *m*, superficies = 34·84 *ha*, temp. aquae (iisdem mensibus ut supra) = + 10·1° C.

„Mały staw“, cuius altit. = ca. 2 *m*, superf. = ca. 0·25 *ha*.

„Czarny staw“ 1757 [1]) *m* s. m., temp. aquae (iisd. men. u. s.) = + 11·06° C.

„Zadni staw“ 1889 *m* s. m., superf. eius = 5·6 *ha*, temp. aquae = ca. 8·6° C.

Deinceps lacus „Morskie Oko“ 1384 *m* s. m., altid. eius = 45 *m* (48 *m*?), superfic. = 33 *ha*. Temp. aquae media diurna = + 12·8° C, temp. autem aëris = 10·4° C; aëris temp. med. anni = + 2·3° C, aestatis autem (mens. VI—VIII) = + 12·15° C.

„Czarny staw“ supra lacum Morskie Oko situs, 1588 *m* s. m. Altit. eius = ca. 75 *m*, superficies autem = 21·32 *ha*. Hic lacus diebus longis aestivis tantum per 5 horas insolatur, a mense Octobri ad Martium constanter obumbratur aquisque affluentibus perfrigidis nutritur. Quo fit, ut temperatura aëris in convalle suâ cum temp. convallis lacus prioris comparata ca. 1·2°C, aquae autem 2·5°C differat.

In valle „Za Mnichem“ ad deflexionem iugi, quae „Wrota Chałubińskiego“ dicitur, parvus lacus (innominatus) ca. 2000 *m* s. m.

In valle „Sucha Woda“: „Toporowy staw“ 1095 [1]) *m* s. m.

In valle „Kościeliska“: „Smreczyński staw“ 1226 *m* s. m., superf. eius = 0·84 *ha*. Demum lacus „Szczyrbskie“ 1351 *m* s. m., cuius altit. maxima = 19 *m*, superficies autem = 20·4 *ha*.

Aqua lacuum Tatrensium pellucida, color eius autem smaragdinus

[1]) Birkenmajer L. O stosunkach temperatury głębokich jezior tatrzańskich 1901. Kraków. Rozprawy Akad. Um. Wydz. mat.-przyr. t. X., pag. 186—411.

rcin.org.pl

est et cum altitudine aquarum in nigrum mutatur, lacus Alpium montium aquam intense caeruleam habent. Color aquae praecipue lacuum vallis „Gąsienicowych stawów“ ad ripas et nonnullorum aliorum lacuum omnino ferrugineus — ruber est; id ferrum hydroxydatum efficit, quo saxa submersa obteguntur.

Nonnullis exceptis omnes lacus Tatrenses in epocha glaciali orti sunt veteresque moles nivium frigoribus conglaciatas significant. Nives perennes montibus Tatrensibus desunt; parvi enim campi nivei, qui locis praecipitibus saxis obtectis in summo iugo inveniuntur, cum tegumento nivali aliorum montium altorum Europae comparati nullo sunt numero.

Aquae coelestes in montibus Tatrensibus copiosiores sunt aestate quam hieme [1]); qua re fit, ut his montibus fines perennium nivium desint, qui fines epocha glaciali hic in altitudine 1500 *m* inveniebantur.

Flora phanerogama montium Tatrensium has regiones format:[2])

1. Regio campestris (Avena sativa, Solanum tuberosum) 700—1122 *m*	(regio subtatrensis).
2. „ Fagi et Abietis 1122—1260 *m*	(regio silvarum).
3. „ silvarum Piceae excelsae 1260—1561 *m*	
4. „ Pini pumilionis densae et altae 1561—1789 *m*	(regio subalp. pascuorum).
5. „ „ „ dissipatae et humilis 1789—1960 *m*	
6. „ superior alpina (sine Pin. pum.) 1960—2250 *m*	(regio saxorum).
7. „ laciniarum nivalium 2250—2663 *m*	

B. Qui viri docti quosque libros de algis mon. Tatr. adhuc scripserint atque quae loca ipse algas legens pervestigaverim.

Algae Tatrenses nondum accuratius cognitae sunt. Quantum ego in literis algas tractantibus inveni, prima mentio algarum Tatrensium apud Kalchbrennerium [3]) invenitur, qui 10 species in montibus Tatrensibus inventas sine designatione locorum indi-

[1]) In Zakopane mensibus IV—IX 715 *mm*, mensibus autem X—III 320 *mm*.

[2]) Kotula B. Distributio plantarum vasculosarum in montibus Tatricis. Sumptibus Acad. Literarum Cracoviensis. Cracoviae 1889—1890.

[3]) Kalchbrenner L. A szepesi moszatok jegyzéke. Math. Term. Közlemények Magy. Tud. Akadem. IV kötet, 1865—1866. Pest 1866. Pag. 343—365.

rcin.org.pl

cat. Hae sunt: *Epithemia Argus* (Ehrb.) Kuetz., *Gleocapsa fuscolutea* Naeg., *Phormidium Boryanum* Kuetz. („a Tátrán, a Kriván"), *Nostoc macrosporum* Menegh., *Palmella mucosa* Kuetz., *Hydrurus irregularis* Kuetz., *Prasiola Sauteri* Menegh., *Gloiotila ferruginea* (Ehrb.) Kuetz., *Lemanea torulosa* (Roth) Ag. b. *frigida* = *L. Kalchbrenneri* Al. Braun in Rabenh. Exs. 834., *Chroolepus Jolithus* (Linn.) Ag. Postea I. Schumann[1]) 205 species diatomacearum Tatrensium publicat. qui numerus a me[2]) ad 237 auctus est. Anno 1883. dissertatio Professoris Dris J. Rostafińskii „Hydrurus i jego pokrewieństwo[3])" in lucem prodit, eam dissertatio, quae „Sphaerogonium[4])" inscribitur, sequitur. Hoc in libello auctor 7 species generis Sphaerogonium descripsit atque 8 species aliarum algarum commemoravit. Deinde dissertationes M. Raciborskii[5]) floram algarum montium Tatrensium 50 speciebus auxerunt. Praeterea anno 1886. Prof. V. B. Wittrock[6]) novum genus in lacu, qui Szczyrbskie appellatur, inventum descripsit.

Ipse montes Tatrenses, quod ad algas pertinet, mense Iunio 1899. anno penetrare inceperam et has microscopicas plantulas usque ad finem mensis Augusti collegeram. Annis insequentibus in excursionibus complurium dierum has partes montium nostrorum scrutatus sum, quas anno 1899. omiseram, atque die 13. Augusti mensis anno 1903. finem legendi feci. Praeterea professor Ignatius Król, collega meus, 8 specimina benevolentissime mihi permisit, quorum tria algas ex his lacubus vallis Quinque Polonicorum stagnorum continebant, in quibus ipse algas non collegeram.

[1]) I. Schumann. Die Diatomeen der hohen Tatra. Verh. d. zool. bot. Gesell. Wien. 1867.

[2]) R. Gutwiński. Przyczynek do znajomości okrzemek tatrzańskich. (Bacillariaceae tatrenses), Spraw. Kom. fiz. Akad. Um., tom XXII. Kraków 1888.

[3]) Rozpr. Wydz. mat.-przyr. Akad. Um. Tom X, pag. 60—86. Kraków 1883.

[4]) Ibidem, pag. 280—305.

[5]) M. Raciborski. De nonnullis desmidiaceis novis vel minus cognitis, quae in Polonia inventae sunt. Pam. Wydz. mat.-przyr. Akad. Um., tom X. Kraków 1885.

Idem, Materyały do flory glonów Polski. Spraw. Kom. fiz. Akad. Um., tom XXII. Kraków 1889.

Idem, Przegląd gatunków rodzaju Pediastrum. Rozpr. Wydz. mat.-przyr. Akad. Um., tom XX. Kraków 1889.

Idem, Desmidye nowe. Pam. Akad. Um., tom XVII. Kraków 1889.

[6]) V. Wittrock. Om Binuclearia et nytt Confervacé-slägte. Bih. till k. Svens. Vet.-Ak. Handl. Bd. XII. Afd. III. Nr. 1. Stockholm 1886.

rcin.org.pl

Specimina, quibus ad hanc rem conscribendam usus sum, his locis sumpta sunt:

I. Vallis Kościeliska: 1. In fonte „Lodowe“ appellato (967 *m* s. m.). 2. In rivo prope viam in „Cracoviam Tatrensem“ (ca. 1300 *m* s. m.). 3. In lacu „Smreczyński staw“ (1230 *m* s. m.).

II. Vallis „Mała Łąka“: 1. Ad ostium vallis. 2. In uvidis ad ripas rivi. 3. In uvidis ad rivum prope viam in „Przysłop Miętusi“. 4. Ad saxa in rivo (Haec 4 specimina leg. prof. I. Król). 5. In rivo ad viam ex valle „Miętusia“ exeuntem. 6. Locis uvidis, muscosis ad dextram viae, quae in plateam „Kościeliska“ ducit.

III. Vallis „Strążyska“: 1. In rivo prope saxum Jelinekii. 2. In rivulo, qui ad dextram rivi in eum influit prope pratum „hala Strążyska“. 3. Ad saxa aquis catarractae „Siklawica“ irroratis. 4. In catarracta ipsa.

IV. Ad Kasprusie: in pratis prope ostium vallis commodum commemoratae.

V. Vallis „Ku Dziurze“: in saxis rivo submersis in parte superiore vallis.

VI. Vallis „Białe“: 1. In saxis rivo submersis. 2. In parietibus vallis, qui ad orientem spectant aquisque lenissime defluentibus irrorantur.

VII. „Antołówka“ collis: in uvidis declivitatis supra hortum „Park“ appellatum.

VIII. In silva inter plateam nominis Chałubińskii et viam „Na Koziniec“.

IX. In Bahledówka.

X. Prope collem „Koziniec“: locis uvidis graminosis partimque muscosis aqua leniter fluenti irroratis (ca. 800 *m* s. m.).

XI. Vallis „Bystrej“: 1. Ad saxa in rivo rapidissime fluenti in Kuźnice. 2. In fonte („wywierzysko“) rivi Bystra ad „Kalatówki“ (1775 *m* s. m.).

XII. In fossis ad viam publicam inter „Bystre“ et „Jaszczurówka“.

XIII. In Jaszczurówka: in aquis e thermis defluentibus.

XIV. In pratis uvidis, muscosis prope montem Nosal.

XV. Vallis „Olczyska“: 1. Locis uvidis, muscosis ad silvam caesam iuxta rivulum in rivum Olcza ex sinistra influentem. 2. In fonte („wywierzysko“) rivi Olcza. 3. Ad saxa in rivo Olcza *Hydruro* obtecta.

rcin.org.pl

XVI. „Toporowa Cyrhla“: in declivitate iuxta viam publicam ex Jaszczurówka ad Roztoka ducentem.

XVII. In lacu „Toporowy staw“.

XVIII. Prope locum „Capówka“ appellatum, locis uvidis silvestribus ad dextram viae supra (XVI) citatae.

XIX. Vallis „Gąsienicowych stawów“: 1. Ad saxa aquis leniter defluentibus irroratis ad sinistram viae ex „Hala Gąsienicowa“ versus lacum „Czarny staw“ ducentis. 2. In lacu Czarny staw: α) in ostio, β) ad ripas prope casam „Schronisko“, γ) inter Sphagna in regione insulae, δ) in aquis ex lacu decurrentibus infra molem. 3. In lacu „Sobków staw“. 4. Inter saxa in aquis inter lacum commodum dictum et „Zielony staw“ defluentibus. 5. In lacu Zielony staw. 6. Inter saxa in aquis e lacu „Długi staw“ defluentibus supra lacum „Kurtkowiec“ (ca. 1700 *m* s. m.). 7. In lacu „Dwoisty staw“. 8. In lacu „Długi („Kuklaty“) staw“.

XX. In catarracta inter lacum „Zmarzły staw“ (1791 *m* s. m.) et „Czarny staw Gąsienicowy“ (leg. prof. I. Król.).

XXI. In fonte „Lodowe“ ad viam in „Zawrat“ (1820 *m* s. m.).

XXII. In aquis, quae ex nivibus iuxta flexionem iugi „Zawrat“ sitis defluunt (ca. 2100 *m* s. m.).

XXIII. Vallis „Pięciu Polskich stawów“: 1. In scrobiculis turfosis ad radices montis „Kozi Wierch“. 2. In scrobiculis et locis aquâ leniter defluenti irroratis supra lacum „Zadni staw“ (ca. 1900 *m* s. m.). 3. Locis irroratis supra lacum „Czarny staw“ (ca. 1800 *m* s. m.). 4. In lacu „Wielki staw“ [1]) loco, ubi aquae ex lacu decurrunt (1669 *m* s. m.). 5. In lacu „Mały staw“ [1]) 6. In lacu „Przedni staw“ [1]) in parte lacus, quae ad orientem vergit (1672 *m* s. m.). 7. In saxis iuxta viam, quae ex valle ad Roztoka ducit, supra catarractam „Siklawa“ appellatam.

XXIV. In lacu „Czarny staw“ supra lacum „Morskie Oko“ sito: 1. Ad ripas lacus. 2. Ad saxa submersa.

XXV. In lacu „Morskie Oko“: 1. Ad saxa submersa. 2. Ad saxa submersa iuxta ripas. 3. Loco, ubi aquae ex lacu decurrunt.

XXVI. Ad saxa aquis leniter defluentibus irroratis supra viam, quae in ripis lacus „Morskie Oko“ ad lacum XXIV ducit. (ca. 1400 *m* s. m.). 2. Ad montes „Miedziane“ in saxis in rivo supra lacum Morskie Oko.

[1]) Leg. prof. I. Król.

rcin.org.pl

XXVII. Vallis „Za Mnichem“: in stagnis et locis uvidis ad deflexionem iugi, quae „Wrota Chałubińskiego“ dicitur.

XXVIII. Vallis „Białej Wody“: in parvis rivulis in rivum „Podupłazki“ influentibus.

XXIX. Vallis „Roztoki“ in scrobiculo saxi granitici prope catarractas „Mickiewiczii“.

XXX. Vallis „Waksmundzka“: inter montes „Koszysta“ et „Wołoszyn“ ad saxa in rivo rapide fluenti.

XXXI. In silva inter vallem „Pańszczyca“ et „Sucha Woda“: locis turfosis.

XXXII. Vallis „Ciemnosmreczyńska“ („Koprowa“): 1. In rivulis. 2. Prope „Pod Bańską“ ad saxa in rivo „Koprowy“.

XXXIII. In magna catarracta rivi Kolbach.

XXXIV. Locis uvidis, muscosis prope viam „Clotildae“ inter vicos „Westerowo“ et „Hagi Wyżne“.

XXXV. In lacu „Szczyrbskie“ (Csorber See).

Ut ex hac compositione apparet, scrutationibus meis totam amplitudinem montium Tatrensium Poloniae (valle „Chochołowska“ excepta) cum eorum lacubus, locis uvidis, aquis fluentibus, praestantibus fontibus complexus sum. — Si autem locos: 1) „Pod przełęczą Cichą“ (videlicet „Tomanowska“) inter Czerwony Wierch et Tomanowa Polska montes, ubi algas M. Raciborski legit, 2) vallem Jaworzynka, 3) vallem Młynica, unde algas prof. Dr. J. Rostafiński profert, postremum locos a I. Schumannio penetratos i. e. 4) vallem „Mięguszowiecka“, 5) regiones, quae a monte „Polski Grzebień“ ad septentriones (1911 *m* s. m.) et 6) in meridiem (1785·8 *m* s. m.) spectant, ergo vallem „Świstowa“ et vallem „Wielka“, 7) Superiorem partem vallis „Zimna Woda“ (Klein Kolbach) 2039·98 *m* s. m., 8) locum 1264·3 *m* s. m., a Szmeks 2·5 *km* distantem, occidentem versus situm, locis in compositione nostra commemoratis adiunxerimus, dicere licebit, opusculum nostrum imaginem completam fere huius microscopicae florae montium Tatrensium praebere. Cum haec teneo, non dubito, quin investigationes posteriores, quae ante omnia ad cacumina alta montium, haud numerosos campos niveos, plantas in aquis pendentes (Plankton) lacuum Tatrensium intendendae sunt, novas species in lucem prolaturae, numerum specierum iam cognitarum aucturae sint, sed haec omnia formam florae propriam et peculiarem hoc opusculo demonstratam non mutatura esse confido.

rcin.org.pl

C. Quaestio de flora algarum montium Tatrensium summatim proponitur.

Cum numero algarum, quae a me locis supra commemoratis (I—XXXV) inventae sunt, algas ab auctoribus prioribus collectas addiderimus, summa haec erit rei:

I.	In valle Kościeliska .	lectae	sunt	158	species	algarum
II.	„ „ Mała Łąka .	„	„	43	„	„
III.	„ „ Strążyska . .	„	„	68	„	„
IV.	Ad Kasprusie	„	„	28	„	„
V.	In valle Ku Dziurze .	„	„	23	„	„
IV.	„ „ Białe	„	„	35	„	„
VII.	„ Antołówka	„	„	20	„	„
VIII—X.	Prope Koziniec . . .	„	„	62	„	„
XI.	In valle Bystrej . . .	„	„	19	„	„
XII.	Inter Bystre et Jaszczurówka	„	„	20	„	„
XIII.	In thermis Jaszczurówka	„	„	12	„	„
XIV.	Prope Nosal	„	„	15	„	„
XV.	In valle Olczyska . .	„	„	64	„	„
XVI.	In Toporowa Cyrhla .	„	„	69	„	„
XVII.	In lacu Toporowy staw	„	„	128	„	„
XVIII.	Prope Capówka	„	„	56	„	„
XIX.	In valle Gąsienicowych stawów	„	„	523	„	„
XX.	Inter lacus Zmarzły et Czarny staw	„	„	20	„	„
XXI.	In fonte ad Zawrat . .	„	„	38	„	„
XXII.	Iuxta Zawrat	„	„	10	„	„
XXIII.	In valle 5-Polonicorum stagnorum	„	„	253	„	„
XXIV.	In lacu Czarny staw .	„	„	51	„	„
XXV.	„ „ Morskie Okie .	„	„	111	„	„
XXVI.	Prope lacum Morskie Oko	„	„	50	„	„
XXVII.	In valle „Za Mnichem“	„	„	30	„	„
XXVIII.	„ „ „Białej Wody“	„	„	55	„	„
XXIX.	„ „ „Roztoka“ . .	„	„	5	„	„
XXX.	„ „ „Waksmundzka“	„	„	17	„	„

rcin.org.pl

XXXI. In valle „Pańszczyca-Sucha Woda“ . . . . lectae sunt 27 species algarum
XXXII. In valle „Koprowa“ . . „ „ 40 „ „
XXXIII. „ „ „Staroleśniańska“ (Grosskolbach) . . . . „ „ 22 „ „
XXXIV. Inter Westerowo et Hagi „ „ 23 „ „
XXXV. In lacu „Szczyrbskie“ . „ „ 45 „ „

1. Inter montes Czerwony Wierch et Tomanowa Polska 11 sp. alg.
2. In Molkówka . . . . . 7 „ „
3. In valle Jaworzynka . . . . . 1 „ „
4. „ „ Mięguszowiecka . . . . . 71 „ „
5. „ „ Świstowa . . . . . 29 „ „
6. „ „ Wielka . . . . . 44 „ „
7. „ „ Zimnej Wody (Klein Kolbach) . . . . . 86 „ „
8. Prope Szmeks . . . . . 65 „ „
9. In valle Młynica . . . . . 3 „ „

Qui numeri quamquam summam abundantiae relative inopiae florae algarum singulorum locorum non exprimunt, tamen magni sunt momenti: non solum posteris scrutatoribus monstrant, quae ad loca accuratius diligentia vertenda sit, sed etiam numeris his relativa abundatia algarum singulorum locorum aliquatenus indicatur.

Etsi fines distributionis algarum secundum regionum supra mare altitudinem tam accurate quam fines distributionis plantarum phanerogamarum determinari non possunt, tamen — distributionem hanc in montibus Tatrensibus scrutans — animadverti, nonnullas quamquam haud numerosas species non nisi in quibusdam regionibus inveniri. Itaque:

In regione campestri (700 *m* — 1122 *m*): *Cosmarium: granatum, holmiense, dovrense, reniforme; Pleurostauron Smithii; Achnanthes exigua, gibberula; Synedra: Ulna, amphicephala; Fragilaria capucina; Cystopleura: gibba, Zebra; Nostoc commune; Oscillatoria sancta.*

In regione silvarum 1122 *m* — 1561 *m*: *Oocystis solitaria; Hyalotheca dissiliens; Cosmarium pseudoamoenum; Arthrodesmus Incus; Staurastrum: dejectum, saxonicum; Navicula: hemiptera, zellensis, minutissima; Cymbella Caesatii; Pseudoeunotia pachycephala; Chroococcus turgidus.*

In regione subalpina 1561 *m* — 1789 *m*: *Cosmarium: microsphinctum, homalodermum; Euastrum crassicole; Staurastrum:*

rcin.org.pl

pygmaeum, varians; Navicula: molaris, firma, obliquestriata; Gomphonema: longiceps, micropus; Eunotia Camellus; Cyclotella stelligera; Lyngbya aerugineo-coerulea; Oscillatoria simplicissima; Coelosphaerium Kützingianum; Gleocapsa purpurea.

In rivulis solis (algae rhyacophilae) inveniuntur: *Chantransia, Lemanea, Hydrurus, Prasiola fluviatilis.*

In lacubus solis has species (algas limnophilas) observavi: *Binuclearia, Oocystis solitaria, Sphaerozosma: vertebratum, excavatum; Spondylosium pulchellum; Roya obtusa; Arthrodesmus Incus; Euastrum: sinuosum, rostratum, elegans, amoenum, scitum; Staurastrum deiectum, varians, alternans, polymorphum; Navicula appendiculata, microstauron, serians; Gomphonema: Vibrio, insigne, micropus; Nitzschia gracilis; Pseudoeunotia pachycephala, Cyclotella stelligera; Lyngbya aerugineo-coerulea, Phormidium autumnale, Coelosphaerium Kützingianum; Dinobryon.*

Ut primae libelli partis finem faciam, primum numerum omnium algarum adhuc in montibus Tatrensibus cognitarum secundum ordines proferam, deinde eum cum numero algarum aliarum regionum Galiciae. quae accuratius, quod ad floram algarum attinet cognitae sunt, comparabo:

Ordo	Genera	Species	Species et varietates
Florideae	3	5	5
Fucoideae	2	2	3
Chlorophyceae	31	56	64
Conjugatae	21	203	260
Bacillariaceae	40	274	398
Myxophyceae	30	79	89
Flagellatae	2	6	8
Summa	129	625	827

Ordo	Montes Tatrenses	Ager Leopoliens.	Ager Tarnopol.	Ager Wadowice-Maków
Florideae	5	—	—	—
Fucoideae	2	1	—	2
Chlorophyceae	56	110	103	109
Conjugatae	203	257	173	311
Bacillariaceae	274	206	226	226
Myxophyceae	79	52	52	43
Flagellatae	6	—	—	—
Summa	625	626	554	691

rcin.org.pl

Denique gratias maximas ago summo magistratui scholas Galiciae administranti pro vacatione muneris, qua in hoc opusculo finiendo adiutus sum.

Cracoviae, die 30. Ianuarii 1909.

PARS II.

Algae praeceptis artis ordinantur.

Class. Florideae.

Fam. Batrachospermeae.

Gen. Batrachospermum Roth.

1. *B. vagum* (Roth) Ag.

Hab. in lacu Smreczyński staw in valle Kościeliska (Rac. Fiz. XXII. 81).

Gen. Chantransia Fries, 1825.

2. *Ch. chalybea* (Lyng.) Fries. Hansg. Prodr. pag. 25.

Cell.: crass. = 6·6, lg. = 22; lg. cel. termin. = 55, sporangia: crass. = 6·6, lg. = 6·6.

Hab. in valle Waksmundzka ad granites in rivo rapide fluenti *Lemaneae* insidens. Magna catarracta rivi Kolbach, in *Lemanea*.

3. *C. pygmaea* Kuetz.

Hab. in valle Młynica (Rostaf. Rozpr. X. 282).

Fam. Lemanaceae.

Gen. Lemanea Bory 1808.

4. *L. torulosa* (Roth) Ag. b. *frigida* = *L. Kalchbrenneri* Al. Braun in Rabenh. Exs. 834.

Hab. in montibus Tatrensibus („a Tátrán") Kalchb. l. s. c. pag. 364.

5. *L. fluviatilis* Ag.

Hab. in valle Waksmundzka et in magna catarracta rivi Kolbach.

Class. Fucoideae.

Fam. Phaeothamnieae.

Gen. Phaeothamnion Lagerh., 1884.

1. *Ph. confervicolum* Lagerh.

Hab. in lacu Toporowy staw.

rcin.org.pl

Fam. **Hydruraceae.**

Gen. **Hydrurus** Ag. 1824.

2. *H. foetidus* (Vill.) Kirch.

Hab. in valle Kościeliska ad saxa in rivo iuxta viam ad Cracoviam Tatrensem, in valle Białe, in valle Strążyska; in lacu Czarny staw Gąsienicowy, in valle Waksmundzka; in magna catarracta rivi Kolbach. — In vallibus: Jaworzynka, Młynica (Rostaf. Rozpr. X. 60, 61).

var. *irregularis* (Kütz.) Rabenh.

Hab. („a Tátrán") in mont. Tatrens. Kalchb. l. s. c. pag. 358.

Class. **Chlorophyceae.**

Ordo **Confervoideae.**

Fam. **Coleochaetaceae** (Naeg.) Pringsh.

Gen. **Coleochaete** Bréb. 1884.

1. *C. orbicularis* Pringsh.

Long. cell. = 11 μ, crass. = 8·8.

Hab. in lacu Szczyrbskie.

Fam. **Oedogoniaceae** (De-By.) Wittr.

Gen. **Bulbochaete** Ag. 1817.

2. *B. Nordstedtii* Wittr. Hirn, Monogr. pag. 332—333. Tab. LIII, fig. 341.

Oogonia: 44 μ crass., 33—39·6 longa.

Long. nannandr. = 22—24·2 μ.

Cell. veg.: 11—15·4 μ crass., 39·6—66 μ long.

Hab. in lacu Szczyrbskie.

B. spec. (sterilis).

Hab. in lacu Dwoisty staw prope montem Świnica.

Gen. **Oedogonium** Link 1820.

3. *O. Boscii* (Le Cl.) Wittr. Hirn, Monogr. pag. 122. Tab. XIII. fig. 74.

Crass. fil. supra oog. = 8·8 μ, infra oog. = 11 μ.

Altitudo cell. veg. = 88—110.

Oogonia: 37·4 μ crassa, 94·6 μ longa.

Oosporae: 35·2 μ crassae, 62 μ longae.

Hab. in lacu Toporowy staw; 13. VII. 1899 oogoniis haud maturis.

rcin.org.pl

4. *O. obesum* (Wittr.) Hirn, Monogr., pag. 166. Tab. XXVI, fig. 148.

Crass. filam. = 13·2—15·4 μ, long. = 42—46 μ.

Oogon. 41·8 μ crassa, 44 μ longa.

Oosporae crass. = long. = 33 μ.

Hab. in valle Ciemnosmreczyńska — in rivulis 10. VIII. 1900.

Sterilia specimina huius generis etiam in: valle Ku Dziurze, in lacubus: Dwoisty staw et Szczyrbskie observavi.

Fam. **Ulvaceae** (Lamour.) Rabenh.

Gen. **Prasiola** Ag. 1821.

5. *P. fluviatilis* (Sommerf.) Aresch.

Hanc speciem a Kalchbrennerio [1]) „in montibus Tatricis" lectam in valle Waksmundzka dicta et in magna catarracta rivi Kolbach legi.

var. *Hausmanni* Grun. De-Toni Syll., pag. 145.

Vallis Kościeliska: in rivulo rapide fluenti ante viam in „Cracoviam" Tatrensem.

Fam. **Ulotrichiaceae** (Kuetz.) Borzi. em.

Gen. **Hormiscia** Fries 1835.

6. *H. subtilis* (Kuetz) De-Toni Syll. p. 159.

Crass. fil. = 8·8 μ; long. cell. = 5—11 μ.

Lacus „Wielki staw" in valle Pięciu Stawów (leg. I. Król.)

7. *H. flaccida* (Kuetz.) Lagerh.

Crass. fil. = 8·8 μ; long. cell. 8·8 μ — 22 μ.

Lacunae in viis campestribus ad Bahledówka.

var. *minor* Hansg. Prodr. pag. 61.

Crass. fil. = 6·6 μ; long. cell. = 4·4 μ.

Zakopane: in silva inter plateas Chałubińskii et „Na Koziniec" dictas.

8. *H. zonata* (Web. et Mohr.) Aresch.

In vallibus Waksmundzka et Strążyska dictis in rivulo rapide fluenti saxa obducens.

var. *valida* Rabh. De-Toni l. c. pag. 164.

Crass. filam. = 17·6 μ — 24 μ — 35 — 44 — 52 μ.

Long. cell. = 16—22 μ. Filamenta ad apices angustata, cellula apicalis conica ad basim 13 μ crassa, cellula anteapicalis 17·6 μ

[1]) Kalchbrenner l. s. c., pag. 361.

rcin.org.pl

crassa, octava (in parte apicali filamentorum) 26 μ crassa. Zoosporangia 48 μ crassa; macrogonid. 17·6 long., 11 μ crassa; microgonidia 6·6 μ crassa, 8·8 μ longa.

Ad saxa submersa in rivulo rapidissime fluenti Bystra dicto ad Kuźnice.

Gen. **Draparnaudia** Bory 1808.

9. *D. glomerata* (Vauch.) Ag. De-Toni l. c. 192.

Crass. truncorum 55—60 μ; ramorum 19·8—35 μ; ramulorum = 13 μ.

In muscosis emissariis aquae ad declivitatem Toporowa Cyrhla ad viam ex Jaszczurówka ad Roztoka. In valle Biała Woda dicta in rivulis rivo Podupłazki affluentibus.

Gen. **Conferva** L. 1737.

10. *C. bombycina* (Ag.) Lagerh.

In valle Strążyska, in valle lacuum, qui Gąsienicowe dicuntur, (emissaria inter lac. Sobków staw et Zielony). In emissariis iuxta viam ad Roztoka ante locum „Capówka" dictum. In valle Roztoka ad catarractas Mickiewiczii atque in turfosis silvae inter valles Pańszczyca et Sucha Woda dictas. In lacu Szczyrbskie dicto.

11. *C. Raciborskii* Gutw. Mat. do fl. gl. Gal. III, pag. 110., fig. 1.

Crass. fil. = 33—44 μ; crass. membr. = 4·4 μ.

In muscosis emissariis aquae declivitatis loci Toporowa Cyrhla dicti; in magna catarracta rivi Kolbach.

Gen. **Microspora** Thur. 1850.

12. *M. floccosa* (Vauch.) Thur. De-Toni l. c., pag. 226.

Crass. fil. = 13 μ; lg. cell. = 24—35 μ; crass. membranae ad 2 μ.

In aqua ex thermis Jaszczurówka dictis decurrenti.

13. *M. amoena* (Kuetz.) Rabh. De-Toni l. c., pag. 227.

Crass. fil. = 24 μ, lg. cell. = 26—44 μ; cr. memb. = 4·4 μ.

In valle Białej Wody dicta in parvis rivulis rivo Podupłazki affluentibus.

In Zakopane (Rostaf. Rozp. X. 284).

Gen. **Binuclearia** Wittr. 1866.

14. *B. tatrana* Wittr. Om Binuclearia pag. 9, tab. I. Tab. nostra I, fig. 1—3.

rcin.org.pl

In valle Quinque Polonicorum lacuum in lacu Mały staw dicto (leg. I. Król.); in lacu Szczyrbskie appelato.

Adnotatio: Haec species primum a cl. prof. V. Wittrockio in lacu, qui Szczyrbskie dicitur, die 27. VII. 1885 inventa, descripta delineataque (Om Binuclearia ett nytt Confervacé-slägte, Bih. till k. Svenska Vet.-Ak. Handlingar. Bd. XII. Afd. III. Nr. 1. Stockholm 1886) nec non „in aquario" ad „Bydalsfjället" Norvegiae a cl. prof. N. Wille lecta, postea a Brunone Schrödero ex Asciburgio monte in dissertatione „Neue Beiträge z. Kenntnis d. Alg. d. Riesengebirges" pag. 19—21 et „die Algenflora der Hochgebirgsregion d. Riesengeb." pag. 11. Breslau 1896, a W. Schmidle in libello, qui „Einige Alg. a. preuss. Hochmooren" inscribitur, pag. 157—159. plenius reddita est. Eandem speciem in lacu Szczyrbskie legit Br. Schröder die 18. Julii a. 1898, ut ex eius explicatione supra citata pag. 20. cognoscimus, atque ego die 13. VIII. a. 1903.

Quamquam de specie, de qua agitur, auctores multa observata conscripserunt, tamen cognitio structurae atque evolutionis *Binuclearíae* manca esse videtur. Quo factum est, ut ad hanc scrutandam summo cum studio animum intenderim. Atque observationes me docuerunt, chlorophora, zoosporas modumque, quo zoosporae cellulas vacuas faciunt, nondum nota esse.

Apud Wittrockium l. s. c. pag. 4. invenimus: Kloroforer ensamma i hvarje cell, väggstälda, bandformiga eller halft ringformiga". W. Schmidle l. s. c., pag. 158. scribit: „Nur selten sah ich Zellen mit noch wandständigem Chromatophor; diese waren meist quadratisch; äusserst selten waren lange, rechteckige Zellen mit nicht contrahiertem Protoplasma, wie sie Schröder l. c. zeichnet, vorhanden." et pag. 159. „Daß unsere Alge Schwärmsporen bildet, ergiebt sich aus der Beobachtung Schröders mit Sicherheit. Ich selbst konnte dieselbe mehrere Male wiederholen, nicht selten sah ich dabei in der zerrissenen Zelle noch ein rundes grünes Körperchen, zweifellos eine zurückgebliebene Spore. Und an einem solchen Faden fand ich ein Mal in einer noch unverletzten Zelle vier völlig augebildete Schwärmsporen".

In dissertatione Br. Schröderi pag. 20. autem legimus: „Zwar konnte ich die Zoosporen nicht beim Ausschlüpfen aus dem Zoosporangium wahrnehmen, jedoch fand ich in älteren Fäden (Fig. 1. f.), bei denen der Zellinhalt fehlt, einen in der Längsachse des

rcin.org.pl

Fadens gerichteten mehr oder weniger offenen Spalt in der Membran, durch welche die Sporen ausgeschlüpft sein dürften".

Cum autem ipse specimina e lacu Szczyrbskie diligentissime scrutabar, filamenta in varia positione i. e. in obliqua, perpendiculari, horizontali, inter positionem horizontalem rotata observavi. In observando oculis meis se obtulit, quod chlorophora non semianularia sunt, sed iustum anulum efficiunt. Anuli illius tamen unum latus in longitudinem diffissum est ibique aut margo anuli alter altero occultatur (Cfr. Tab. nost. VII fig. 1 d), aut margines rimam oblongam efficiunt (Fig. 1. e). Nuncleos binos („nutritivos") in speciminibus meis, quae in formalaldehido conservata erant, non conspexi, sed cum haematoxylinam adhibueram, factum est, ut unum nuncleum in medio cellulae situm semper animadverterim (Cfr. Tab. nost. VII, fig. 2). Cellulas quoque evacuatas observavi atque conspexi, eas se poro circulari aliarum Confervacearum instar non rima longitudinali (Cfr. Br. Schröder l. c. Tab. I. fig. 1. f.) aperire (Tab. nostr. VII. fig. 3). Zoosporas non vidi. Quod ad acinetas pertinet, observationes meae planissime cum observationibus supra commemoratorum auctorum congruunt (Cfr. Tab. nostr. VII. fig. 1. e. et Wittrock l. s. c. fig. IX—XII).

Species adhuc ex regionibus montanis et septentrionalibus nota a cl. Maxio Schmidtio in dissertatione, quae „Grundlagen einer Algenflora der Lüneburger Heide" (Hildesheim 1903) inscribitur, pag. 61, ex uvidis campis stagnisque locorum demissorum Germaniae prolata est. Etiam H. Royers enumerat *Binucleariam* in libello „Beitrag z. Algenfl. d. Bergischen Landes u. benachb. Gebiete" (Ebersfeld 1903) pag. 43. atque W. et G. Westii in „Freshwat. Alg. fr. the Orkneys and Shetlands" (Edinburgh 1904) pag. 12. speciem hanc ex Hoy, Lerwick, Bressay proferunt. Specimina ab H. Royers in fossa ad Ohligs provinciae Rhenanae lecta sunt.

Fam. **Chroolepidaceae** (Rabh.) Borzi.

Gen. **Trentepohlia** Mart. 1817.

15. *T. aurea* (L.) Mart. De-Toni l. c. pag. 236.

Hab. in saxis in valle Kościeliska.

var. *tomentosa* Kuetz.

Crass. fil. 11—22 μ, long. cell. 33—40 μ.

Saxa iuxta viam sita in valle Białe dicta.

var. *subsimplex* Casp.

rcin.org.pl

Hab. in declivitate montis Gewont, quae ad meridiem vergit, ad viam ad locum, qui „hala Kondratowa“ dicitur.

16. *T. Bleischii* (Rabh.) Wille var. *Piceae* Wille, De-Toni, pag. 243.

Crass. fil. 13—15·4 μ, lg. cell. = 17·6—19 μ.

Zoogonidangiorum diameter 24 μ, membrana = 2·2 μ.

Zakopane in cortice Piceae excelsae.

17. *T. Jolithus* (L.) Wallr.

In montibus Tatrensibus („á Tatrán“) Kalchbr. l. s. c., pag. 364.

In saxis graniticis in Kuźnice.

18. *T. malleiformis* nov. spec. Tab. nostra VII, fig. 4.

T. caespitulis strictis, parvis, aggregatis, rarius confluentibus, lutescentibus, siccatis griseis; filamentis ramosis, ramulis nunc patentibus nunc adscendentibus et tortuosis, 13·2—16·4 μ crassis, ramis ad 17·6 μ crassis; cellulis vegetativis cylindricis haud tumidis 17·6—39·6 μ longis, zoogonidangiis terminalibus, cellulâ intercalari parvâ apici cellulae ultimae (cellularum in filamentis *Oedogonii* ad instar) insertâ excentrice fultis, transverse ellipticis, polos versus leniter angustatis itaque malleum mentientibus, poro rotundo in polo breviore sito apertis. Longitudo zoogonidangiorum 41·8—52 μ, crassitudo autem = 17·6—24 μ.

Hab. in cortice Piceae ad Zakopane.

Gen. **Microthamnion** Naeg. 1849.

19. *M. Kuetzingianum* Naeg.

Hab. in silvaticis emissariis aquae ad viam, quae ex Jaszczurówka in Roztoka ducit, ante locum Capówka dictum.

Fam. **Cladophoraceae** (Hass.) Wittr.

Gen. **Cladophora** Kuetz. 1843.

20. *C. glomerata* (L.) Kuetz. De-Toni l. c. 295.

Crass. truncor. = 88—99 μ; ultim. ramul. = 46—59 μ; long. cell. = 220—660 μ.

Hab. in aqua ex thermis Jaszczurówka dictis decurrenti.

Ordo **Siphoneae** Grev. em.

Fam. **Vaucheriaceae** (Gray) Dum.

Gen. **Vaucheria** DC. 1803.

21. *V. geminata* (Vauch.) DC. var. *verticillata* (Kuetz.) Rabh. De-Toni l. c., pag. 400.

rcin.org.pl

Oogonia 75—84 μ longa, 62—66 μ crassa.

Hab. in fossis iuxta viam inter Bystre et Jaszczurówka sitis.

22. *V. hamata* (Vauch.) Lyngb. De-Toni l. s. c.

Oogonia 180 μ longa, 114—154 μ crassa.

Hab. in valle Strążyska dicta in rivulo 16. VI. 1899. In Zakopane (Rostaf. Rozp. X. 282).

23. *V. uncinata* Kuetz. Götz, Zur Syst. d. Gat. Vauch., pag. 38, fig. 40.

Hab. in fossis iuxta viam publicam inter Bystra et Jaszczurówka 26. VIII. 1899.

Ordo **Protococcoideae** (Menegh.) Kirchn.

Fam. **Volvocaceae** (Cohn) Kirchn.

Gen. **Eudorina** Ehrenb. 1831.

24. *E. elegans* Ehrenb. De-Toni l. c., pag. 537.

Diameter familiae = 75 μ, crass. cell. = 13·2—16 μ.

Hab. in lacu Toporowy staw ad ripas turfosas.

Gen. **Chlamydomonas** Ehrenb.

25. *C. caudata* Wille, Algol. Notizen IX—XIV. 1903., pag. 135. Tab. III, fig. 6.

Long. = 37·4 μ, lat. = 17·6 μ.

Hab. inter Sphagna ad ripas lacus Czarny staw Gąsienicowy dicti.

26. *C. subcaudata* Wille l. c., pag. 136. Tab. III., fig. 15.

Hab. in aquis ex nivibus, quae declivitatem montis ad iugi deflexionem Zawrat dictam obruunt, decurrentibus.

27. *C. pisiformis* Dill., Wille l. c., pag. 138. Tab. IV., fig. 8.

Long. = 20 μ, lat. = 11 μ.

Hab. in lacu Toporowy staw dicto.

28. *C. flavo-virens* Rostaf.

Hab. in montibus Tatrensibus (Rostaf. Rozp. VIII, p. VIII—XI).

Gen. **Haematococcus** Ag. 1828.

29. *H. lacustris* (Girod) Rostaf. *(Chlamydomonas pluvialis* (Flot.) A. Br.).

Hab. in montibus Tatrensibus (Rostaf. Rozp. VIII, p. VIII—XI).

Fam. **Palmellaceae** (Decais.) Naeg. em.

Gen. **Scenedesmus** Meyen. 1829.

30. *S. bijugatus* (Turp.) Kuetz.

rcin.org.pl

Hab. locis graminosis, muscosis, humidis in silva sub colle Koziniec appellato; in lacubus: Toporowy staw et Morskie Oko.

31. *S. quadricauda* (Turp.) Bréb.

Hab. in lacu Toporowy staw atque in emissariis aquae in silvis ad viam publicam, quae ex Jaszczurówka ad Roztoka ducit, ante locum, qui Capówka appellatur.

32. *S. antennatus* Bréb.

Hab. in lacu Toporowy staw.

33. *S. costatus* Schmidle Beitr. z. alpin. Algfl. Tab. XIV., fig. 5—6.

Hab. in lacubus: Czarny staw Gąsienicowy, Smreczyński staw in valle Kościeliska et in lacubus Wielki staw et Mały staw dictis atque in valle Quinque Polonicorum lacuum sitis (leg. I. Król.).

var. *poriferus* nov. var. Tab. nostra VII., fig. 5 = *Coelastr. Bohlinii* Schmid. et Senn.

Cellulae habitu earundem varietatis *β coelastroides* sed dimensionibus maioribus: 33 μ longae et 17·6 μ latae; costae intus poris ad dimidium crassitudinis costas perforantibus praeditae. Cellulae e vertice spectatae 10 crenis acutioribus ad peripheriam exornatae.

Hab. in lacu Czarny staw Gąsienicowy ad ripas.

Gen. Coelastrum Naeg. 1849.

34. *C. sphaericum* Naeg.

Hab. in lacu Czarny staw Gąsienicowy dicto.

35. *C. irregulare* Schröder, Alg. d. Versuchsteiche in Forschgbrcht. d. Plöner-Station 1897, pag. 14, 15, Tab. III., fig. 1.

Hab. in lacubus: Dwoisty staw, Toporowy staw et in lacu Czarny staw, qui supra lacum Morskie Oko dictum situs est.

Gen. Pediastrum Meyen 1829.

36. *P. forcipatum* (Corda) A. Br., Rac. Ped. Tab. II., fig. 17.

Hab. in valle Stawów Gąsienicowych dicta in lacubus Czarny et Zielony staw appellatis.

37. *P. Boryanum* (Turp.).

var. *brevicorne* A. Br., Rac. Pediastr.

Hab. locis uvidis graminosis et muscosis in silva ad collem Koziniec.

for. *glabra* Rac. l. c., pag. 13.

Hab. similibus locis ad declivitatem loci Toporowa Cyrhla appellati.

rcin.org.pl

var. *granulatum* A. Br., Racib. l. c., Tab. II., fig. 15, 16.

Hab. in emissariis aquae in silva ad viam publicam, quae ex Jaszczurówka ad Roztoka ducit, ante locum Capówka dictum; in lacubus: Zielony staw Gąsienicowy et Toporowy staw.

38. *P. angulosum* (Ehrenb.) Menegh.

var. *araneosum* Rac.

Hab. in Molkówka (Rac. Rozpr. XX. 100).

for. *brevicornis* Rac.

Hab. in Molkówka (Rac. Rozpr. XX. 103).

39. *P. Tetras* (Ehrenb.) Ralfs.

Hab. in lacu Toporowy staw.

for. *excisa* A. Br., Rac. l. c., pag. 32.

Hab. cum forma typica.

Gen. **Ophiocytium** Naeg. 1849.

40. *O. maius* Naeg.

Hab. in Antołówka locis uvidis.

41. *O. cochleare* (Eichw.) A. Braun. Lemmermann, Das Genus Ophiocytium, pag. 30. Tab. III., fig. 11.

Hab. in lacu dicto Toporowy staw.

42. *O. capitatum* Wolle. Lemmermann l. c., pag. 31. Tab. IV., fig. 16—17.

Hab. eodem loco cum praecedenti.

43. *O. parvulum* (Perty) A. Braun. Lemmermann l. c. Tab. IV., fig. 30—33.

Hab. locis uvidis graminosis, muscosis prope Koziniec; in valle Białe dicta in rivulo. In lacubus: Czarny staw Gąsienicowy, Toporowy staw. In lacu Wielki staw dicto in valle 5 Polonicorum lacuum (leg. I. Król.).

Gen. **Rhaphidium** Kuetz. 1845.

44. *R. polymorphum* Fresen.

Hab. in lacu Toporowy staw.

var. *falcatum* Rabh.

Locis uvidis graminosis muscosis prope Koziniec.

Gen. **Tetraëdron** Kuetz. 1845.

45. *T. minimum* (A. Br.) Hansg.

Hab. inter muscos ad saxa in rivo Koprowa prope locum Pod Bańską dictum.

rcin.org.pl

46. ? *T. irregulare* (Reinsch) De-Toni l. c., pag. 611. Tab. nostr. VII., fig. 6.

Diameter cell. 35—42 μ; crass. = 22 μ.

Hab. ad ripas lacus Czarny staw Gąsienicowy dicti.

Gen. **Cerasterias** Reinsch. 1867.

47. *C. rhaphidioides* Reinsch. for. *obtusata* Reinsch. Algenfl. Tab. V., fig. 1. e.

Tantum quatuor radii adsunt.

Hab. in aqua inter saxa granitica e lacu Sobków staw et Zielony staw decurrenti.

Gen. **Eremosphaera** De-By 1858.

48. *E. viridis* De-By. De-Toni l. c., pag. 616.

Diameter cellularum = 95 μ.

Hab. ad ripas turfosas et in aqua lacus Smreczyński staw dicti in valle Kościeliska.

Gen. **Tetraspora** Link 1809.

49. *T. lubrica* (Roth.) Ag.

Diam. cell. = 7—8 μ — 9 μ — 11 μ — 13·2 μ

Hab. in lacu Czarny staw dicto, qui supra lacum Morskie Oko appellatum situs est; in declivitate loci Toporowa Cyrhla.

Gen. **Crucigenia** Morren 1830.

50. *C. rectangularis* (Naeg.) A. Br.

Hab. inter Sphagna ad ripas lacus Czarny staw Gąsienicowy appellati.

Gen. **Oocystis** Naeg. 1855.

51. *O. Naegelii* A. Br.

Hab. in lacu Toporowy staw dicto atque in lacu Morskie Oko appellato; etiam ad saxa irrorata iuxta viam in ripa lacus Morskie Oko dicti positam, quae ad lacum Czarny staw ducit.

Gen. **Gleocystis** Naeg. 1849.

53. *G. gigas* (Kuetz.) Lagerh.

Cell. c. membr. 33 μ, s. membr. 26 μ longae.

„ c. „ 22 μ, s. „ 17·6 μ latae.

rcin.org.pl

Hab. in lacu dicto Mały in valle 5 Polonicorum lacuum (leg. prof. I. Król.).

Gen. Palmella Lyngb. 1819.

54. *P. mucosa* Kuetz.

Hab. in montibus Tatrensibus (a Tátrán) Kalchb. l. s. c., pag. 358.

Gen. Urococcus Hassal 1845.

55. *U. insignis* Hass.

Diam. cell. cum integum. = 84 μ!

„ „ sine „ = 55 μ.

Hab. in lacu dicto Czarny staw supra lacum appellatum Morskie Oko.

Gen. Dimorphococcus A. Br. 1849.

56. *D. lunatus* A. Br., Bohlin. Die Alg. d. erst. Regnelschen Exp. Tab. I., fig. 38—39.

Hab. in aqua ex lacu dicto Zielony staw Gąsienicowy decurrenti.

Class. Conjugatae.

Fam. **Zygnemaceae** (Menegh.) Rabenh.

Gen. Zygnema Ag. 1824.

1. *Z. stellinum* (Vauch.) Ag.

Hab. in scrobiculis turfosis ad radices montis dicti Kozi Wierch in valle „Quinque Polonicorum lacuum".

2. *Z. cruciatum* (Vauch.) Ag.

Tantum exemplaria sterilia observari in fossis iuxta viam publicam inter locos Bystre et Jaszczurówka dictos, in lacu Czarny staw supra lacum Morskie Oko appellatum sito, in lacu dicto Przedni staw in valle „Quinque Polonicorum lacuum" (ubi leg. prof. I. Król.) atque in lacu dicto Szczyrbskie.

Gen. Spirogyra Link. 1820.

3. *S. longata* (Vauch.) Kuetz., Cleve, Zygnem. Tab. III., fig. 8, 10; Petit, Spirog. Tab. V., fig. 5.

Zygotae long. = 52·8—55—57—57—68 μ.

„ crass. = 31—35—31—29—29 μ.

Cell. evacuat. lg. = 77, lat. = 33 μ.

„ veget. „ = 121, lat. = 33 μ.

Taenia chloroph. 1, anfract. 2—$2^1/_2$—3.

rcin.org.pl

Hab. locis uvidis graminosis muscosis prope Koziniec.

4. *S. Lutetiana* P. Petit, Spir. pag. 21, Tab. IV., fig. 9—13.

Zygot. crass. = 41·8 μ — 44 μ — 39·6 μ.

„ long. = 74·8 μ — 72·6 — 80 μ — 116 μ.

Cell. veg. crass. = 35—39·6 μ.

Observ.: Ob taenias chlorophyceas distinctas deficientes designatio huius speciei manca esse videtur.

Hab. in uvidis muscosis aquis defluentibus irroratis in silva prope collem Koziniec 17. VII. 1899.

5. *S. punctata* Cleve Zygn., pag. 23., Tab. VI., fig. 1 - 4.

Hab. in valle Olczyska.

S. spec? Exempla sterilia! observavi in lacu Dwoisty staw dicto et locis uvidis ad locum Toporowa Cyrhla dictum.

Fam. **Desmidiaceae** (Kuetz.) De-By.

Gen. Hyalotheca Ehrenb. 1840.

6. *H. dissiliens* (Sm) Bréb. var. *tatrica* Rac. De nonn. Desm. 1885., pag. 8., Tab. XIV. (V.), fig. 5.

Hab. in lacu dicto Smreczyński staw in valle Kościeliska appellata, locis uvidis iuxta viam ex loco Hala Gąsienicowa dicto ad lacum Czarny staw Gąsienicowy sitis et in lacu Szczyrbskie appellato.

In uvidis prope lacum Toporowy staw (Rac. Pam. X. 64).

var. *bidentula* Nordst.

Hab. in uvidis prope lacum Toporowy staw (Rac. Pam. X. 64).

Gen. Spondylosium Bréb. 1844.

7. *S. secedens* (De-By) Arch.

Hab. in lacu dicto Toporowy staw.

8. *S. pulchellum* Arch. var. *bambusinoides* (Wittr.) Lund.; Sphaerozosma bambusinoides Wittr. Skand. Desm. sec. Nordst., Freshw. Alg. New. Zeal., pag. 28, Tab. II., fig. 11.

Long. cell. = 13 μ, lt. = 11 μ, isth. = 3·3 μ, apex = crass. = 6·6 μ.

Hab. in lacubus dictis Smreczyński staw in valle Kościeliska et Toporowy staw.

Gen. Sphaerozosma Corda 1835.

9. *S. vertebratum* (Bréb.) Ralfs, Brit. Dem. Tab. VI., fig. 1.

Hab. in lacu dicto Dwoisty staw et in lacu appellato Morskie Oko.

rcin.org.pl

10. *S. excavatum* Ralfs. l. c. Tab. VI., fig. 2.

Hab. in lacubus: Toporowy staw, Wielki in valle Quinque Polonicorum lacuum, Morskie Oko et in lacu dicto Szczyrbskie.

Gen. Gymnozyga Ehrenb. 1840.

11. *G. moniliformis* Ehrenb.

Hab. in lacu Smreczyński staw dicto et ad turfosas ripas eiusdem lacus.

Gen. Gonatozygon De-By 1856.

12. *G. asperum* (Bréb.) Cleve.

Long. = 176 μ! lat. = 8·8 μ! apex = 6·6 μ.

Hab. in lacubus: Przedni staw — in valle Quinque Polonicorum lacuum (leg. prof. I. Król.), et Morskie Oko in saxis, ubi rivus e lacu decurrit.

var. *vulgare* Rac.

Hab. in uvidis prope collem Koziniec (legi ipse 17. VII. 1899), inter montem Czerwony Wierch et Tomanowa Polska. (Rac. Pam. X. 67).

var. *tatricum* Rac.

Hab. in uvidis supra lacum Kurtkowiec (Rac. Pam. X. 67).

13. *G. Ralfsii* De-By. De-Toni, Sylloge, pag. 801.

Hab. in lacu Toporowy staw dicto.

var. *pilosellum* Nordst. West. Plankton of Scot. Lochs. Tab. VI., fig. 1.

Long. = 171—176 — 216 — 231—272—385 μ!

Lat. = 9·9—13·2—13·2—15·4—11—13·2—15·4 - 15·4 μ

Apex = 11 μ — 15·4 — 15·4—17·6 - 17·6 μ

Chlorophora taeniaeformia torta singula rarissime bina.

Hab. in lacu Szczyrbskie appellato. 13. VIII. 1903.

14. *G. Kjellmanii* Wille, Ferskvandsalger fra Novaja Semlja, pag. 59, Tab. XIV., fig. 78.

Raciborski, De non. Desm. nov. v. m. cogn. Pamiętn. Ak. Um., t. X., pag. 67. Tab. XIV., fig. 10 sub var. *vulgare* Rac.

Long. = 37·4—53 μ; lat. = 6·6—9 μ; apex = 4·4 μ.

Hab. locis uvidis graminosis et muscosis in silva prope Koziniec; in lacubus: Sobków staw Gąsienicowy dicto et in Szczyrbskie apellato.

rcin.org.pl

Gen. Spirotaenia Bréb. 1848.

15. *S. condensata* Bréb.

Long. = 184 μ, crass. = 24 μ.

Hab. in lacu Toporowy staw dicto ad ripas turfosas. 13. VII. 1899. In Zakopane (Rac. Pam. X. 62).

Gen. Mesotaenium Naeg. 1849.

16. *M. Braunii* De-By.

Long. cell. = 22—26—29 μ.

Lat. cell. = 13—15—13 μ.

